



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus XXVI. Societas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## TITULUS XXVI. SOCIETAS.

## §. I.

Bona.

Symbola.

**P**hison, ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum.

Gen. 2. 11. Phison ditescit ex tellure proxima. Nilus fordescit ex nigra. Naxera in Jos. 13. §. 24.

*Separate urbes fugitivorum.* Jos. 20. 2. Has urbes, ad quas homicidæ, tanquam ad asylum, confugiebant, ait Philo lib. de Cain, & Abel, ad Sacerdotes, & Levitas, spectasse: ut homicidæ illi confortio, & familiaritate, Sacerdotum, & Levitarum, ad poenitentiam converterentur, & plangere peccatum discerent. Pinna Ethol. 83.

*Nè forte eradicetis simul & triticum.* Matth. 13. 29. Quod triticum? ipsa Zizania in triticum convertenda. Non quia modò sunt sed quia de tritici societate proprium exuent, & tritici ingenium induent. S. August. in Catena S. Thomæ: primò Zizania sunt & postea triticum fiunt. Itaque si avulsi fuerint (scilicet mali à bonorum collegio) simul eradicetur & triticum, quod futuri essent. Naxera in Jos. 7. §. 31.

Carbo extinctus habet emolumentum à vivis. Sicut patet 4. Reg. 13. 21. de mortuo resuscitato per societatem ossium Elisæi. Candelà accensà, cum multis aliis copulata, in vento conservatur, & virga à fractione. Broymard. societas bonorum.

Solis radii derivati in vitrum ustorium. Lem: *Unius splendor incendium alterius.* Piconelli.

Carbo. Lem: *Aliis junctus.* Scilicet accenditur, Idem.

Testimonia.

### Ex Veteri, Novo, & Patribus.

*Num & Saul inter Prophetas?* 1. Reg. 10. 11. Dilce, quàm utilis sit societas bonorum: hæc enim aliis suam bonitatem affricat. En tibi Saul in societate Prophetarum sit Propheta; & prophetat. Deus enim suum spiritum afflans prophetis, etiam Saulo afflavit. Cornelius hic.

*Prophetare ceperunt etiam ipsi.* 1. Reg. 19. 20. Dilce, quantum valeat bonorum societas; æquè ac sanctorum virtus, & merita: nam hi nebulones, vel ministri, impii Saulis inter prophetas facti sunt Propheta. Idem hic.

*Qui redemisti David servum tuum de gladio maligno.* Pl. 143. 10. Malignus est gladius diaboli, quia dividit à bonis: benignus est autem gladius Domini, quoniam separat à malis. Cassiodorus hic.

*Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.*

Cant. 4. 15. vocatur sponsa. Libanus interpretatur candidatio. *Tota pulchra es amica, & macula non est in te.* Cant. 4. 7. Ideò non nisi fons hortorum dicitur, fons deliciarum, Gilbertus f. 37. in Cant. Plurimum ad decorem, aut ignobilitatem conducit; quibus conferis. Extra rosas, lilia, & violas, fontem suum sponfus non finit evagari. Naxera in Jos. 13. §. 24.

*Beati sunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt.* Eccl. 48. 11. Moraliter hic discere, quàm salutare, & beatum sit, versari cum viris eximiis; sapientiâ, & Zelò, plenis. Hi enim suum Zelum, & Spiritum, sibi familiaribus affricant, & quasi inhalant. Ità Elisæus, & filii Prophetarum, versantes cum Elia, ejus Zelum, & heroicis animos, imbiberunt; & factis expresserunt. Sic, qui cum S. Paulo, & Apostolis, tractabant, eorum igneos animos induebant. Sic Isaias c. 6. agens cum angelis, & Seraphinis, ab eis angelicus, & Seraphicus, effectus est. Cornelius hic.

*Vos estis lux Mundi.* Matth. 5. 14. Lux non ad seipsam, sed ad alios, est creata. Sim. Cass. l. 8. c. 16. Luci adherentes lux esse meruerunt. S. Paschas. l. 3. in Matth. Tantum de bona societate percipitur. Sylveira hic.

Necesse est, ut talis efficiatur homo, quales sunt, cum quibus conversatur. S. Laur. Just. de discipl. mon. conv. c. 4.

## §. II.

*Inter bonos malum esse, pessimum.*

### Ex Veteri.

*Et ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum.* Num. 25. 6. Procopius: hic scortator impudicitie sue atrocitate ad justam iram provocavit Phinees: quòd videlicet in conspectu Moysis, & principum, libidinem exercuit; nihil etiam reveritus eorum lacrymas, quas ante tentorium effuderunt.

*Quoniam pravaricatus est pactum Domini, & fecit nefas in Israel.* Jos. 7. 15. Abul. q. 45. majori poenâ mulctatus est, quàm si fecisset in alio populo: quia iste populus est Sanctior.

*Posui te in monte sancto Dei; in medio lapidum ignitorum ambulasti.* Ezech. 28. 14. In Luciferi confusionem hoc dictum est. Magna hæc reprehensio; ut inter tot angelos sanctos perverteretur. Diez. conc. 3. in festo S. Thomæ.

### Ex Novo.

*Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Matth. 22. 12. S. Maximus hic: poterat minus displicuisse, si in consortium justorum minime se dedisset. Cur in tantis gaudiis tam rigida fertur sententia? quia convivæ reliqui

reliqui pretiosis charitatis, cæterarumque virtutum, vestibus ornati erant: his se immiscere peccatorem, & talem permanere; summa impudentia est. Pertimeat Christianus Quadragesimæ præsertim tempore; cum Fideles plerique corpora castigant inediâ, flagris, ciliciis; indulgere sibi, dedere se voluptatibus, &c. In societate enim iustorum talem non esse, maxime irritat furorem Dei, Bæza t. 2. l. 1. c. 8. conc. 3. An ignorabas, quali amictu ingrediendum esset ad convivium? Sit ita sanè. Sed cum jam intraveras, vidisti splendida discumbentium vestimenta: nonne te oportuit vel ex his, quæ cernebas, discere? S. Cyrill. Jerof. in Præfat. Ligatæ pedes illius confidenter intrantis: ligatæ & manus ipsius, quæ splendidè illum nescierunt ornare vestitu. Vides, quid tum illi acciderit; cave ergo tibi: aspice venerandum hoc Ecclesiæ institutum; circumspice ordinem, & disciplinam, scripturarum lectionem, Regularium præsentiam, & doctrinæ seriem: reverearis locum, & erudiaris ex his, quæ apparent. Sanct. Cyrillus Jerof. Præfat.

*Fuit in diebus Herodis - Zacharias.* Luc. 1. 5. In diebus ejus fuit Zacharias: quia semper Dominus, malis regnantibus, aliquos bonos suscitât, ad eorum malitiam reprimendam. Sic Elias tempore Achab. Hugo Card. hic.

*Erat in civitate peccatrix.* Luc. 7. 37. Ex aggerat facinus mulieris, ut indulgentiam accumularet Salvatoris, nam malè egisse in civitate, præsertim Jerofolymis, ut quidam volunt; ubi ad manum habebat tot adjumenta respiscendi; ubi præsertim erant tot homines, tam pii, & eruditi, qui verbò, & exemplò, revocare poterant errabundam: id gravius erat; quam si in eremi inhospitâ solitudine corruisset. Did. Niss. Dom. 3. Pent. §. 5.

*Vides hanc mulierem?* Luc. 7. 44. Periculosum, inter bona exempla non corrigi. Tunc Dominus Simonem reprehendit; quando inter Magdalena amoris plena officia, ille adhuc ingratus, & murmurator, perseverat. Nam videns, à Magdalena lavari, ungi, & oculis honorari, non inde injuriæ suæ pœnitet, non ve-recundatur, se victum fuisse in obsequiis Christo præstantis. Bæza t. 2. l. 6. c. 5. §. 27.

*Succide ergo illum: ut quid etiam terram occupat?* Luc. 13. 7. Gilbertus ferm. 27. in Cant. ficulneam illam sterilem, quam Dominus jussit succidi, fertiles de vicino vineæ condemnabant.

*Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expiravit.* Act. 5. 5. Graviter puni-tur Ananias, ob bona exempla primæ Christianitatis, inter quæ vivebat. Sylveira hic.

*Consideremus invicem, in provocationem charitatis, & bonorum operum.* Hebr. 10. 24. q. d. homines vitiosi considerent vitiosa aliorum exempla, ut ea imitentur: vos verò ô Hebræi Christiani considerate mutua Christianorum exempla charitatis, aliorumque bonorum operum; quæ vos provocent ad imitationem. Cornelius hic.

*Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas.* Apoc. 3. 1. Cor-

nelius per septem spiritus intelligit angelos Ecclesiæ Rectores per stellas Episcopos. q. d. O Episcopo Sardensis! versaris inter sanctos angelos, & Episcopos: pudeat ergo te unum, non sanctè vivere! pudeat te officium Episcopale; in quo alii fervent, & diligentes sunt, negligere. Sylveira hic.

*Habes pauca nomina in Sardis.* ib. 4. S. Bernardinus: pauci proponuntur Episcopo; ut exemplò eorum bene viveret. Et Richardus à S. Vict. cum mortuus fuerit per peccatum, dicitur ei, quòd habeat aliquos in Ecclesia sua innocentes: eorum exemplò tu munda conscientiam tuam; nec patiaris te à subditis tuis sanctitate vinci.

### Ex Patribus, & aliis.

Erranti homini data est lex, erranti verò etiam sub lege adducitur testimonium eorum, qui extra legem sunt: ut, quia conditi, conditionis nostræ ordinem servare nolumus, præceptis admoneremur: & quia præceptis obedire contempnimus, exemplis confunderemur: nec, ut dictum est, eorum exemplis, quos lex astringeret; sed quos lex à peccato nulla cohiberet. Circumscripsit nos divina providentia, circumvenit exultationem nostram; undique conclusus est aditus tergiversationis humana. Homo gentilis, homo sine lege, ad medium adducitur: ut eorum, qui sub lege sunt, pravitas confundatur. Quòd bene per Prophetam, ac breviter, dicitur: *erubescet Sidon, ait mare.* Il. 23. 4. in Sidone quippe figuratur stabilitas in lege positorum; in mari autem vita Gentilium. *Erubescet ergo Sidon, ait mare:* quia ex vita Gentilium redarguitur vita sub lege positorum; atque ex actione Sæcularium, redarguitur vita Religiosorum. Sanct. Gregor. in Job Præf. c. 2.

*Vir erat in terra Hus.* Job. 1. 1. &c. Idcirco sanctus vir ubi habitaverit, dicitur: ut ejus meritum virtutis exprimat: Hus namque quis nesciat, quòd sit, terra Gentilium? Gentilitas autem eò obligata vitis extitit, quò cognitionem sui conditoris ignoravit. Dicitur itaque, ubi habitaverit; ut hoc ejus laudibus proficiat, quòd bonus inter malos fuit. Idem hic.

Quemadmodum justus lætificat cor innocentium, cum videtur; ita & improbi justorum cognitione torquentur: quia vel tacitis sanctorum moribus arguuntur. Torquet castitas nocentem, avaritiam liberalitas, impietatem fides. S. Ambros. l. 10. in Ps. 118.

Si ad boni incitamentum divina, quibus admonemur, præcepta deessent; pro lege nobis Sanctorum exempla sufficerent. S. Isidorus l. sent. 2. c. 11.

Infelix planè, qui quidam inter lilia positus sanctæ congregationis, ubi varis undique virtutes redolent; nihil tamen suave, nil liliorum simile novit odorare. Gilbertus l. 28. in

Cant.

## §. III.

## Societas mala.

## In ea permane probus.

## Symbola.

**V** Adam, & videbo visionem hanc magnam. Ex. 3. 3. Visiones vidit Isaias, Ezechiel, Daniel, Abraham, Jacob: at inuenies, nulli earum concessum nomen magna; tamen valde recondita, & admirabiles, fuerint. Cur ergo sola visio Moysis dici meruit magna? videbat, quod rubus arderet, & non combureretur. Didac. Niss. Phoen. Græc. l. 1. c. 13.

**F**aciam mirabilem in die illa terram Gessen, in qua est populus meus; ut non sint ibi musca. Ex. 8. 22. Gessen est propinquitatis, inquit Glossa interlin. Terra enim Gessen vicina erat, & finitima illi, in qua barbarus Rex degebat. Quod verò tota Ægyptus infecta fuit muscis, & tam contagiosa pestis nihil-redundavit in terram Gessen, proximè vicinam; hoc tale erat, ut meritò diceret Dominus: **faciam mirabilem &c. Id. ib.**

**I**ngressi sunt filii Israel per medium siccæ maris. Ex. 14. 22. Et tu, si filius Israel es, potes ambulare per siccum in medio mari; si fueris in medio nationis prave: sicut lumen solis continens verbum vitæ ad gloriam, Orig. hom. 6. hic.

**S**icut lilium inter spinas. Cant. 2. 2. Sic debet Ecclesia timere malorum cohabitationem, sicut lilium spinarum circumvallationem: quanto enim periculo lilium est inter spinas, tanto discrimine vivitur inter malos. Hugo Card. hic. Non mediocri titulo profecto virtutis, inter pravos vivere bonum; & inter malignantes innocentiam retinere candorem, & morum lenitatem. Sanct. Bernardus l. 48. Spina falsus frater, spina vicinus est malus. Idem ib. O candens lilium! ô tener, & delicate flos: increduli, & subverfores sunt tecum; vide, quomodo cautè ambules inter spinas. Naxera in Jos. 14. §. 22. Procedit nunc filiarum Babylonis in medio chorus: quid eas dixerim? nisi vepres, & spinas? quot curis punguntur, quot sollicitudinibus discernuntur, quantis libidibus ulcerantur? in harum medio sponsa (puras) nascitur, & versatur, velut rosa vernans inter spinas, & ab illarum punctationibus aliena. Sanct. Thomas Vill. c. 2. in Cant. Cum sceno, cum filice, cum dumis, aconitò, viret flos in campo. Et cum undique, aut noxiis, aut decoloribus, superetur oleribus; suum ipse & colorem servat, & pudorem: nec à filice vitatatem ebibit, nec cum dumis pungit, nec à cicuta venenum fugit. Sic Noe inter impios pius Joseph pudicus cum nefariis, non solum dominabatur, sed etiam fratribus: sic Samuel inter filios Belial, Dei filius, & minister, adolevit. Ità Bernardus inter aulicos Monachus, cum regibus abjectus, floruit, plenè ad Job exemplum, **frater draconum, & socius struthionum.** Job 30. 29. Oliva l. 4. Strom. §. Ego flos campi.

**Qua est ista, qua ascendit &c.** Cant. 3. 6. Si laudabile est, ascendere qualitercunque; laudabilius tamen est, ascendere per desertum; ubi sunt spinæ, & impeditiva: quia summæ laudis est, bene conversari in medio nationis prave. S. Thom. Aqu. hic Lect. 1.

**Calathus unus ficus bonas habebat &c.** Jerem. 24. 2. Vidit in templo duos calathos plenos ficis: & unus habebat ficus bonas, bonas valde; & alter malas, malas valde.

**Serpentes tollent.** Marci 16. 17. Serpentes tollit, qui diabolicas suggestiones, & venenatas tentationes, supplantat. **Mortiferum** sine nocumtò bibit, cui omnia, etiam mala, preparantur in bonum; vel qui aliorum pravis exemplis non inficitur, nec pervertitur cum perverfis Dionys. Carth. hic.

## Exempla, &amp; Testimonia.

## Ex Veteri.

**Noe vir justus.** Gen. 6. 9. Cogita, obsecro, quantæ virtutis fuerit ille justus; quomodo in tanta multitudine, quæ multo impetu in malum ruebat, solus ipse diversâ ambulavit viâ, virtutem malitiæ præferens. Justus, quasi scintilla in medio mari, versans, non solum non extinctus est; sed quotidie fulgidiore luce prodibat. Sanct. Chrylost. hom. 22. in Gen. **Noe vir justus.** Magni meriti, præconium illi est, in tanta plenitudine, sive multitudine, cœlestis iræ gratiam invenisse: eò quod justus, atque perfectus fuerit in illis talibus, tamque corruptis generationibus suis. Rupertus c. 16. in Gen.

Loth in Sodomis pius valde. Gen. 19. Verè admirari licet vehementer justus hujus virtutem; quod conversans in medio tam impiorum, non solum non fuit indè negligentior factus, sed & majorem virtutem præ se tulit; & cum omnes, ut ita dicam, in præceps ruerent; ipse solus in tanta multitudine rectè ambulavit viam. Sanct. Chryostomus hom. 43. in Gen.

**Non sequeris turbam ad faciendum malum; nec in judicio plurimorum acquiesces sententia, ut à vero devies.** Ex. 23. 2.

**Porrò filii Heli filii Belial.** 1. Reg. 2. 12. Et nihilominus, cum abominationes eorum pessimas in longum facer textus recensisset; tandem ait: **Samuel autem ministrabat &c.** O puerum, non puerum! ô puerum viris parem; imò senibus grandiosem! ab ubere transit ad tabernaculum; & ibi, cum incidat in filios Belial, non recedit ab aris, ut impios evitet; nec recedit à proposito, ministrandi Domino. Oliva l. 10. Strom. §. Puer autem erat minister. Samuel apud Heli permanebat, & simul cum filiis ipsius versatus est: illi ceciderunt; hic autem salvatus est: quia in veritate dilexit Dominum. S. Ephrem Paræn. 31.

**Puer autem Samuel ministrabat, ante faciem Domini.** 1. Reg. 2. 18. q. d. inter sentes,

fentes, & lappas viola germinavit: inter vultures pullus turturis à suo gemitu non cessavit. Vides margaritam? non in lacte concrevit, sed in æquore, Oliva fer. 4. D. 1. Quadr.

*Cum irent omnes ad vitulos aureos-hic solus fugiebat consortia omnium.* Tob. 1. 5.

*Vir erat in terra Hus nomine Job.* c. 1. 1. Columba in medio accipitrum, ovis in medio luporum, stella in medio nubium, lili-um in medio spinarum, germen iustitiæ in oppido iniquitatis. S. Chrysof. hom. 2. de patientia Job. Dicatur, ubi habitaverit? ut hoc ejus laudibus proficiat; quòd bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudabile est, bonum esse cum bonis; sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris culpæ est, inter bonos bonum non esse; ita immensis est præconii, bonum etiam inter malos exitisse. S. Gregor. hic. Erat tanquam rosa inter spinas, tanquam lili-um inter tribulos, candidus, ac rubens: candidus fide, ac sanctitate; rubens velut rosa planè; quia sustinuit dolores, ac passiones. Erat tanquam columba inter raptrices aquilas; tanquam agnus in medio luporum diripientium; tanquam stella in medio nubium teterrimarum. Cum inter tales esset, non talis fuit, quales & illi. Orig. lib. 1. hic.

*Frater sui draconum, & socius struthionum.* Job. 30. 29. Id est, habitavi cum superbis, & dolosis; & tamen ab illis nihil mali didici. de Ponte in Cant. 2. Exh. 22. §. 3.

*Quasi stella matutina in medio nebulae - quasi arcus resurgens inter nebulas glorie.* Eccl. 50. 6. 8. de Simone Oniæ filio Sacerdote magno.

*Ascendet sicut virgultum coram eo; & sicut radix de terra sitiienti.* Il. 53. 2. En ratio germana germinandi vel in sabulo; coram eo. Non fœnum, sed virgultum, ascendet etiam de terra arida. Oliva l. 10. Strom. S. Puer autem erat minifter.

*Ut doceret eos literas, & linguam Chaldeorum.* Dan. 1. 4. Tres illi pueri, ac Daniel, curiosam, & supervacaneam disciplinam minimè didicerunt. Hinc liquet; quòd hic leonibus, illi autem igni, venerationi fuerunt. S. Isidorus Pelus. l. 3. ep. 139. Cum hi sancti pueri cum aliis de femine regio ducti essent in Babylonem; constituit eis Rex Magistrum, ut doceret eos &c. à moribus tamen eorum non inquinati, Sylveira in Act. 13. 1.

*Cadentes omnes populi, tribus, & linguæ, adoraverunt statuam auream.* Dan. 3. 7. Postquam ceciderunt omnes; & victi sunt; tunc in medium pueri soli aguntur: ut sic quoque victoria fiat clarior; cum in tanta multitudine ipsi vincant, & prædicentur. Hoc autem maximum, & admirabile est; quòd cadentium multitudo ipsos non teruit, non solvit. Sanct. Chrysof. hom. 4. de patientia ad pop.

*Etsi omnes gentes regi Antiocho obediunt - ego, & filii mei, & fratres mei, obediemus legi Patrum nostrorum &c.* 1. Machab. 2. 19. 20.

### Ex Novo.

*Tu es Petrus.* Matth. 16. 18. Publicâ voce proficitur Petrus Christum Filium Dei; Unde à Domino laudatur. Nathanael etiam fatetur Christum Filium Dei: Rabbi, tu es Filius Dei. Joan. 1. 49. Et tamen à Domino non laudatur. Respondet S. Chrysof. hom. 55. in Matth. Nathanael id facit, quando odium Phariseorum nondum erat exacuatum in Christum: At Petrus fatetur Filium Dei, quando in Christum sæviebant. Sylveira in Matth. 5. q. 10.

*Turba autem increpabat eos, ut tacerent.* Matth. 20. 31. Turba ipsa, quæ cum Domino est, compecebat clamorem; prohibet clamantes. Clament illi, nec deficiant; neque ducantur quasi autoritate turbarum. Non dicant; quomodo isti vivunt tam multi, sic vivamus. Quare vis vivere secundum increpationem turbæ prohibentis, & non secundum vestigia Domini transeuntis. S. August. l. 18. de Verb. Dom.

*Reus est mortis.* Matth. 26. 66. Josephus ab Arimathia inter septuaginta duos Senatores confederat; qui omnes in Christi caput pronuntiârunt, reus est mortis. Solus dixit sententiam, non est reus mortis: non enim consenserat consilio, & actibus eorum. Luc. 23. 51.

*Manahem, qui erat Herodis collectaneus.* 13. 1. Theodoretus legit: educatus. Theophylactus: Manahem, qui erat cum Herode educatus. Ecce tibi mores uniuscujusque, non à pueris educatio, salvos facit. Herodes quidem pessimus; Manahem munus Prophetæ consecutus.

*Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non aror?* 2. Cor. 11. 29. Non dicit, ego non scandalizor. Joan. Cluniac. l. 2. in Dom. Sexag. prudenter sociat se Apostolus infirmitati alienæ, & non scandalo; sed dicit, quòd uritur, quando alius scandalizatur. Ratio hujus est: quia homo cupidus lucri libenter se sociat lucro, & non damno.

*Scio, ubi habitas: ubi sedes est Sathana; & tenes nomen meum &c.* Apoc. 2. 13. Anibertus: ô quàm magna laus electorum est, quòd inter malorum pravitatem boni persistent; quòd inter bestiarum sævitiam, agni innocentiam custodiant; quod inter accipitrum venandi astutiam, columbæ simplicitatem retinent; quòd inter spinarum punctiones odorem floris emanant; quòd inter peccatorum tenebras luce iustitiæ splendent.

### Ex Patribus, & aliis.

Quantum boni virtus habeat, vitia demonstrant: clariusque fit lumen comparatione tenebrarum. S. Hieron. ep. 46. ad Rusticum. Bene agere inter virtutis hostes, & inter eos, qui virtutem prohibent; majus semper virtutis pondus testatur. S. Chrysof. hom. 23. in Gen.

Si quis est, aut esse creditur, fluvius per mare dulcis fluens; aut animal in igne, quò omnia consumuntur, saliens; hoc ipsi inter æqualium greges eramus, S. Gregor. Naz. orat. 20.

Inter

61

con-  
nem,  
quòd,  
dum  
amo.

r.  
non  
gu-  
are,  
Dei:  
cum  
2. f.

stis,  
quòd  
tio-  
c. de

nt.  
s ab  
cir-  
pen-  
nan-  
fia:  
llis.  
elo-  
gnæ  
tus.

Me-  
ad-  
en-  
t in  
in  
or;  
de  
im  
vi-  
nit.  
10-  
na-  
gi;  
n,  
ur.

ni-  
n-  
lis  
n.  
n-  
e-

od  
as  
ui  
ni-  
ex  
o-  
e,  
9.  
er.  
ui

Inter bonos bonum esse, salutem habet; inter malos verò, & laudem: illud tantæ felicitatis est, quantæ & securitatis: hoc tantæ virtutis, quantæ & difficultatis, S. Bernardus ep. 25.

Palpabant quondam tenebras Ægyptii; cum tamen de populo DEI scriptura dicat: *ubi cūque autem habitabant filii Israel, lux erat.* Ex. 10. 23. Quæ tanta gloria? quàm dicere posse, *cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* Pl. 119. 7. Id. ibid.

Angelorum virtus est, vivere cum vitiosis; nec eorum corrumpi vitiis. Guigo confid. de tranquill. an c. 16.

## §. IV.

*Societas mala nocet, pervertit.*

## Symbola.

**ET** vidit Deus lucem, quòd esset bona.

Gen. 1. 4. Laudatur in prima sui creatione. *Et divisit lucem à tenebris.* S. August. l. 10. de Civ. c. 80. non hoc loco additum est, & vidit Deus, quòd esset bona. Illud consortium cum tenebris nocuisse videtur luci; ut jam illam gratiam non videatur habere, quam habebat à principio. Jam tunc Deus, juxta præscientiæ suæ gratiam, divisit justos, id est, filios Dei, & filios lucis, à peccatoribus, tanquam à tenebris: istos vocans diem, illos noctem. S. Hieronymus hic.

*Creavitque Deus cete grandia benedixitque eis.* Gen. 1. 21. 22. Non benedixit æquè tenebris animantibus, ac aquatilibus. Serpentis consortium tanti damni causa. Sylveira in Math. 22. q. 27. Glossa hic: an ideo fortè animalibus sextâ die non benedixit Deus; quia inter ea erat serpens; cui post paululum ipse erat maledicturus. Vel unius serpentis aliquando maledicendi vicinia impedimento fuit, quin reliqua animantia benedicerentur, licet munda, Deo grata, hominibus jucunda. Si in communitate aliqua serpens fuit, in causâ erit, ut tota communitas, licet justorum, divinâ careat benedictione. Alvarez Illustr. 198.

*Est civitas hac juxta, ad quam possum confugere.* Gen. 19. 20. dicebat Loth Angelo. Postea tamen, cum jam civitates deflagrarent, civitate illâ relicta, montem conscendit: *timuerat enim manere in Segor.* Gen. 19. 30. Cajetanus: ratio timoris fuit; nè flamma accensa planitie extenderetur ex Segor. Et rationalis fuit timor, propter propinquitatem ad terram ardentem. De improbo vicino sæpe totus vicus obturbatur; mulier impudica amplæ domus inquilinos infamat. Vesuvii vicinitas sic arvis noxia, ut cineribus marcescant. Ardor alienus, si non adurit, obfuscat. Naxera in Jos. 13. §. 24.

*Invenitque eum vir errantem in agro.* Gen. 37. 15. S. Ambros. l. de Joseph. c. 3. non immeritò errabat, qui quærebat errantes, q. d. vel pia intentio associandi se errantibus sibi est inducere in errorem. Castillo. Illat. 14.

*Non arabis in bove simul, & asino.* Deut. 22. 10. Bos juxta legem, animal est mun-

dum; qui utiliter cibus, & sacrificiis, servit: asinus immundum; quod lex à sacris areet. Mala societas vitanda. Pinna Ethol. 23. 7.

*Misit Adonisedec Rex Jerusalem ad Oban regem Hebron &c.* Jos. 10. 3. Quàm infausus fœderis hujus eventus! *conturbavit eos Dominus à facie Israel, contrivitque plagâ magnâ in Gabaon.* v. 10. Miserram subierunt reges stragem; quia improbum amicum fortiti. Naxera in Jos. 10. §. 26.

*A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum.* Jos. 13. 3. Unde turbidus? Tostatus q. 4. cum creverit, implet terram; & totum alveum pulvere, & lutò, commaculat.

*Pereat dies, in qua natus sum; & nox, in qua ditum est, conceptus est homo.* Job. 3. 3. Orig. l. 3. in Job. Porro, quando natus es, ô beate Job? per diem? an per noctem? Si in die natus es; nocti quid irascis? Si in nocte natus es; diem cur maledicis? x. ubi dies, illic & nox; & quod diei, hoc etiam nocti. q. d. diuturna conjunctio noctis, & diei, inseparabilem utrique maledictionem præstitit. Castillo Illat. 14.

*Aqua omnes, quæ super caelos sunt, laudent nomen Domini.* Pl. 148. 4. 5. Juxta Sancti Augustinum, supra caelos veræ aquæ. Passim dicitur, planetam Saturnum esse frigidissimum. Quæritur ergo, ait Sancti August. de Gen. ad lit. c. 3. unde frigida sit, quæ tantò debet esse ardentior, quantò sublimior, & caelo propinquior? x. facit frigidum aquarum supercœlestium frigiditas. Videte, quid consortium operetur. Stella enim, quæ tantò debet esse ardentior, quantò sublimior; quòd propè habeat frigidas aquas; friget, & alget. Did. Niss. D. 13. Pent. §. 2.

Citius exiguum vitium uberrimè largissimèque, cuius impertiri queat, quàm vel copiosissima virtus parè communicari. Nam & exiguum absinthium amarorem suum meli celerrimè impertierit: mel contrâ nè duplò quidem majus dulcedinem suam absinthio infuderit. Sancti Gregorius Naz. orat. 21.

Cypressus - Lem: *Nil mihi vobiscum est.* Dioscorides tradit, cypressum ob suam acrimoniam, tineas repellere: ideoque olim ex iis simulachra fiebant. Picinelli.

Laurus, Lem: *atritra concipit ignem.* Sancti Cyprianus de spectac. vitiorum exempla expugnant animam, impellunt, mutant, transformant. Miraculo erit, inter incendia, vel non consumi; vel certè non calefcere. Picinelli.

## §. V.

## Testimonia.

## Ex Veteri.

**LEGIT** sibi Loth regionem circa Jordanem, & recessit ab Oriente. Gen. 19. 11. Electionis poenas paulò post dedit; qui non indignarum virtutem, sed regionis attendit fecunditatem,

tatem, armati irruunt hostes, Lothq; facultatibus spoliatum captivant. Gen. 14. 11. *tulerunt omnem substantiam.* Naxera in Jos. 10. 8. 26.

*Noli timere Abram: ego protector tuus sum.* Gen. 15. 1. Indiguit Abraham protectione divina: quoniam in medio idololatrarum, ac pessimorum, tunc morabatur; ne cum perverfis perverteretur. Dion. Carth.

*Egressique sunt Moyses, & Aaron.* Ex. 8. 12. oraturi exeunt à Pharaone: quia commendabilem reddit orationem sequestratio à malis. Hugo Card. hic.

*Usurpaverunt de anathemate.* Jos. 7. 1. id est, de spolijs Jerichuntinis; quæ anathemati, id est, exitio, & incendio, à Deo erant addicta. Nota: unus Achan id fecerat: illius tamen unius peccatum toti corpori tribuitur. Ut ostendatur, quantum valeat bona, vel mala, societas; in qua vitiorum, & virtutum, communicio. Cornelius hic.

*Cum sancto sanctus eris.* Pl. 17. 26. Vide quam multa necessaria, ut sis sanctus & perfectus; & te multorum innocentium, & electorum, societate indigere, ut sis electus; cum dicit, *cum sancto, cum innocente, & cum electo;* hoc est: necessarium est conversari cum optimis, & valde sanctis, ut bonus, & sanctus sis. Ut autem quis malus sit; sufficit unius perverfi societas, *cum perverfis perverteris:* Diez Misericordia Dei.

*Convertit cor eorum (Ægyptiorum) ut odirent populum ejus.* Pl. 104. 25. si antea mutuò amore, & reciproco commercio, Hebraei pariter, & Ægyptii, se tractabant; quæ modo causa odij? ut scilicet, amore in odium verso, Hebraei mores Ægyptiorum abhorreant. S. Chrysost. in Pl. 3. non datum esset à Deo odium, nisi prius malè amassent: quibus amicitia comparabat exitium, ijs odium erat occasio virtutis. Alvarez Illustr. 271.

*Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit.* Prov. 13. 20. Majus est contagium mali, quam vis boni: facilis enim affricatur, & discitur, vitium; quam virtus. Unde ovis una scabiola inficit cæteras; unus gulosus multos. Sic modicum fellis, myrrhæ, & absinthii, totum lactis, vel vini, quin & mellis poculum amarum efficit: cum ex adverso integrum poculum mellis vix vitrum myrrhæ, vel absinthii, edulcoret. Cornelius hic.

*Cum stulto ne malum loquaris.* Eccl. 22. 14. Longè magis noxia est societas malorum, quam salutifera sit societas bonorum: tum, quia ad malum procliviores sumus, quam ad bonum; tum, quia bonum difficile est, & arduum; malum verò facile, & in promptu. S. Augustinus contra Fulgent. donat. c. 16. facilis sanctus, qui junctus fuerit genti huic pessimæ, pessimatur; quam gens ista in melius commutetur. quia proclivius ad imitationem malorum curritur; quam ad virtutes bonorum animus excitatur. Sicut mellis plurimò parum absinthii injectum velocem amaritudinem trahit; mellis verò, etiam si duplum injiciatur, non poterit ejus obtineri dulcedo. Cornelius hic.

*Polyanib. Sacra Tom. II.*

*Vir pollutus labijs ego sum.* Jl. 6. 7. Causam dat: *in medio populi pollutus labijs habentis ego habito.*

*Ecce mulier una sedens in medio amphora, & dixit: hæc est impietas.* Zach. 5. 7. 8. ubi dominatur impietas, mox allicit plures: *Ecce due mulieres egredientes, & habebant alas.* v. 9. Citò advolant ad augendam impietatem. Velloso in Judich. 7. Patæn. 4.

### Ex Novo.

*Excutite pulverem de pedibus vestris.* Matth. 10. 14. Cajetanus: ad testificandum tali signò; quòd nihil commune relinquitur vobis cum eis. q. d. quia Discipuli Deum diligebant ex toto corde; gens verò illa, quæ eos respuebat accipere, idololatriæ dedita erat; ventantur discipuli vel tenuissimum pulverem ex inimica terra secum reportare; ne vel in pulvere communicent cum infidelibus. Castillo Illat. 13.

*Mittent eos in caminum ignis.* Matth. 13. 42. 43. Mox subdit, malis, remotis; tunc iusti fulgebunt sicut sol. Joachimus Abb. in Apoc. 21. separatis injustis de medio justorum, *fulgebunt iusti sicut sol:* quia nimirum non potest dies esse in perfecto splendore, quamdiu pars aliqua tenebrarum hujus crepusculum obsecurando denigrat. Sed quomodo, discedentibus tenebris, dies clarus effulget; ita, detrusis impiis in inferno, fulgebunt iusti.

*Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus.* Matth. 14. 24. *Erant simul Simon Petrus, & Thomas &c.* Joan. 21. 2. Felix piscatio. Quæ diversæ fortunæ causæ? S. Ambros. ad c. 5. Luc. non turbatur ista, quæ Petrum habet; turbatur illa, quæ Judam habet. Esti multa ibi Discipulorum merita navigabant; tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In utraque Petrus; sed, qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caveamus igitur perfidum, caveamus proditorem; ne per unum plurimi fluctuemus.

*Iterum negavit cum juramento.* Matth. 26. 72. Quam nociva pravorum colloquia. Petrus ipse inter infideles vel hominem se hõse negavit; quem inter condiscipulos jam Dei Filium fuerat confessus V. Beda in Marci 14.

*Modicum fermentum totam massam corrumpit.* 1. Cor. 5. 6. Indè evidenter agnoscimus; etiam unum sepius malum hominem, perditorem esse multorum. Salvianus de Provid. Dei lib. 6.

### Ex Patribus, & alijs.

Proclivius est malorum æmulatio: & quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia. S. Hieronym. ep. 7. ad Lærum.

Sicut malus aer assiduò flatu tractus, inficit corpus; perversa locutio assiduè audita infirmantium inficit animum; ut tabescat delectatione pravi operis, assidui iniquitate Sermonis. S. Gregor. hom. 9. in Ezech. circa finem.

Quidvis ex rerum natura sic se habet; ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono  
Ppp p malus

con-  
nem,  
uòd,  
dum  
amo-  
r.  
non  
gu-  
are,  
Dei:  
cum  
2. 5.

stis,  
uòd  
tio-  
c. de

unt,  
s ab  
cir-  
pen-  
nan-  
fia:  
llis.  
elo-  
gnæ  
tus.

Me-  
ad-  
en-  
t in  
in  
or;  
de  
im  
vit-  
ni-  
no-  
na-  
gi;  
n,  
ur.

ni-  
n-  
lis  
n.  
n-  
e-

od  
as  
ui  
ni-  
ex  
o-  
e,  
9.  
er.  
ui

malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur: diversitas enim rerum nunquam potest habere confortium. S. Chrysof. hom. 12. in c. 7. Matth. varios locos.

Si in civitate aliqua sis habiturus, de ære curioso inquiris; an non sit salubris? non temperatus? non ficcus? de anima autem rationem initurus; non es sollicitus de eorum consuetudine, qui cum ea sunt congressuri; sed temerè, & inconsideratè, eam omnibus permittis. S. Chrysof. in Pl. 4.

Quemadmodum qui in aere pestilenti versantur, in morbos incidunt necessariò: Sic qui temerè cum quibuslibet vivunt, in vitia illorum incurrunr. S. Nilus lib. ascet.

Non evadet peccatum, qui socius esse voluerit peccatorum. S. Laurent. Justin. de inter. consl. c. 2.

Nihil æquè exitiale, nihil æquè noxium est; atque pravorum hominum consuetudo. Nam quidvis, aut necessitas, potest; hoc ipsum quoque valet amicitia, & familiaritas; idque tam in rebus turpibus, ac flagitiosis; quam in honestis, & salutariis. Victor Antioch. ad c. 9. Marc.

S. Hugo Ep. Gratianop. dicere solebat: non à mulierum tantum, sed à virorum quoque vultibus Religiosæ mentis avertendum intuitum: fieri enim, ut affectiones conspecti frequenter ad conspicientem inæstimabili velocitate pertransiant; & de irato iratus, de tristi tristis, de lasciviente fiat lascivientis. Bollandus. 1. April.

Quærat qui sapiens est, à malis hominibus secretum. Et si aliquando expedit; potius cum animalibus, quam cum sceleratis hominibus, exhilarationis caperet compendia. Sim. Cass. l. 4. c. 4.

## §. VI.

Societatem malam fugientium  
Exempla.

*Timuit ergo Elias &c.* 3. Reg. 19. 3. Non mulierem fugiebat Propheta tantus; sed sæculum. An mortem timebat, qui se obtulerat requirenti, & qui dicebat ad Dominum: *recipe animam meam*: tædium vitæ istius

sustinens, non cupiditate: sed fugiebat sæcularem illecebram, & conversationis maculosæ contagionem. S. Ambros. lib. de fuga sæculi c. 6.

*Domine, nè in furore tuo arguas me. &c.* Pl. 6. 2. Quò motivò id petit? *discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* v. 9. q. d. hoc te moveat ad misericordiam, quòd malorum societatem fugi. Pinna Eth. 249.

*Sana me Domine.* Pl. 6. 3. ubi Propheta inquisivit, quibus modis posset hanc spiritualem sanitatem adipisci, subdit v. 9. *discedite à me omnes &c.* id est, ut animæ sanitatem consequar, unum mihi faciendum reor; quò peractò omnia expedita erunt: scilicet malorum consortia vitabo. Basilus hic: non contemnenda via ad virtutem malorum fuga: fructus enim hic est respicientiæ, & lacrymarum lucrum. Pinna ib.

*Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Pl. 6. 9. Emendationis ingreditur partem: ut, qui malorum collegio peccaverat, fugatis à se talibus, mandatis Domini devotissimus adhereret. Cassiodorus hic.

*Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus.* Pl. 11. 2. id est, cum multi essent iusti, quorum amicitia utebar, & societate; non erat ita necesse à te fulciri: nam bonorum amictus me ad pietatem adducebat. At postquam defecit sanctus, & de medio sublatus viri pii; & in contubernio malorum dego: nisi gratia tua sit mihi pro fulcro; omnino decidam. Ità Basilus apud Pinna cit.

*Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* Pl. 25. 1. Unde ei tanta innocentia? subdit v. 4. *edivi Ecclesiam malignantium; & cum impijs non sedebo.* v. 5. q. d. id unum me in hanc securitatem inducit; quòd iniquorum consortia vitavi. Prima antè cit.

*Quærebat videre Jesum &c.* Luc. 19. 3. Sed non poterat præ turba. Qui igitur vult videre Jesum, exeat de turba, vitet malorum consortia. S. Euseb. Emils. in Dedic. Eccl.

Hoc est murus, hoc propugnaculum, hoc virtutis incrementum; malos fugere, coactum, & conspiciatum apud se consistere totò vitæ tempore; & ab ijs, quæ corrumpunt, se junctum habitare. S. Chrysof. in Pl. 140.

